



5

LITTERAE SECRETARII GENERALIS
AD PATRES SS. CONCILII OECUMENICI VATICANI II

E Civitate Vaticana, die 7 iulii 1964

Prot. N. 1341 CV/64

Venerabilis Pater,

uti notum factum est per Rescriptum Em.mi P. D. Cardinalis a publicis Ecclesiae negotiis, ex Audientia Ss.mi, diei III iulii c. a., tertia Ss. Concilii Oecumenici Vaticani II periodus exordietur die XIV proximi mensis septembris, in Exaltatione S. Crucis.

Tibi igitur mittere propero reliqua schemata, in Concilio examinanda, scilicet:

- *De divina Revelatione*
- *De Ecclesia*
- *De activitate missionali Ecclesiae*
- *De Ecclesia in mundo huius temporis*
- *De Oecumenismo: Declaratio altera: De Iudaeis et de non Christianis.*

Tibi pariter communico additamenta quaedam ad Ordinem Concilii celebrandi, a Summo Pontifice approbata.

Disceptatio et suffragatio fiet, ex ordine, super schematibus: *De Ecclesia, De pastoralis Episcoporum munere in Ecclesia, De Oecumenismo, De divina Revelatione, De Apostolatu laicorum, De Ecclesia in mundo huius temporis.* Cetera schemata suffragationi subicientur, iuxta ordinem et modum ab Em.mis Moderatoribus suo tempore statuendum.

Cum schematis *De Ecclesia* duo praecipue posteriora capita (*De indole eschatologica vocationis nostrae ac de nostra unione cum Ecclesia caelesti — De Beata Maria Virgine Deipara in mysterio Christi et Ecclesiae*) discutienda sint, rogo te, Venerabilis Pater, ut, si in disceptatione verba facere cupias, Tuae orationis summarium ad hanc Secretariam Generalem, non ultra diem IX septembris proximi, transmittere cures; ita ut disceptatio ordinari atque, ineunte tertia periodo, statim incipere possit.

Interea sensus meae venerationis Tibi pando, atque permaneo

Tibi add.mus

✠ PERICLES FELICI
secr. gen.